



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Dominicus Conf. 4. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. DOMINICUS CONF. 4. Augusti.

A Lterum ecce orbis labantis columen  
DOMINICUM. Certè innoc. Pont. Max.  
subjicere humeros ruinam meditanti La-  
teranensi ædi vidit. Certè flagrantem à  
tergeminio vitio orbem totidem telis ca-  
stigaturo *Filio Mater* clypeum cum FRAN-  
CISCO DOMINICUM objecit; ut jam mi-  
nus mirer necdum natum sive ore fa-  
cet, sive fronte stellam prætulisse. Et  
verò etiam hodie lucet in Filiis, qui dum  
sanctoribus rosis lilyum (*Virginem*)  
colunt; dignos se probant, quos  
(quemadmodum ipse DOMINICUS  
habuit videre) velut pullos suos nunc  
pallii sui alis foveat *Magna Mater*, nunc  
dormientes invisat bene precabunda. Il-  
lud omnium bono ex *Virgine* Diyus in-  
tellexit toties advocationem pro nobis  
in cælis ad Filii pedes facere, quoties  
è terris ADVOCATAM solenni for-  
mulâ clamamus, ut qui rei non clamant,  
sibi, non Advocatæ adscribant, si pe-  
reant. Porrò DOMINICUS quatuor  
omnino Infulas, quas alii tam studiose  
capiti quærunt, generoso fastu pedi-  
bus ipse subdidit; ter noctu pœnas à  
tergo suo, pro se primùm, tum pro vi-  
ventibus in graviori noxâ, demum pro  
agentibus in igne piaculari manibus ex-  
poposcit. Mitto in homines, dæmones,

Hh 3

adeo-

436 VITÆ SANCTORUM. 5. Aug.  
adeoque Superos imperium ; quippe  
cūm toties jam hos exoraret quos oraret.  
Illud memorandum , qui *Mariae* vixerat,  
non sine *Maria* demortuum esse. Affuit  
hæc , neque sola , sed inter *Filiī* & *Cx-*  
*litum* comitatum ad astra abduxit. Viam  
inquiris ? per Rosaria ivit D O M I N -  
I C U S . Ex vita.

Nemo gratuletur homini , qui prospera-  
tur in via sua , cuius peccatis deest ulti-  
or , & adeſt laudator. Major hic ira Domini  
est : irritavit enim Dominum peccator , ut  
ista patiatur : id est correctionis flagella  
non patiatur. August. super Psal. 7.

DEDICATIO S. MARIAE AD NIVES.  
5. Augusti.

A nnus agebatur Christianus supra  
CCC. LXV. quando Romæ civis  
fuit patricii sanguinis , & huic *Ioannes*  
vocabulum. M A R I A M puto expēctas  
Mariane , cūm *Ioannem* audis ? Rem lo-  
queris. Fuit huic conjunx digna conjugi  
suo , fuere opes ingentes , sed spes natu-  
rum nulla , & in his etiam nepotum de-  
collaverat. Tandem , quid ô ! quid ter-  
ris , ait *Ioannes* , ignobiles & mecum  
morituros hæredes quaro ? quin cælo ad-  
scisco ? & an explorē dignioribus nomi-  
nibus ceras possim ? Certè opibus unica  
M A R I A digna omnibus est. Imò *Ioannes*  
non sum , si hæredem M A R I A M non  
scri-